

sterij nomine auctoritate Romana regia insignimus ac manibus proprijs perornamus bis semper viridibus lauri ramis et folijs ipsum sollempniter decorantes; — dantes eidem Enee legendi disputandi interpretandi et componendi poemata liberam ubique locorum tenere presentium facultatem decernentesque eum eisdem priuilegijs immunitatibus honoribus officijs dignitatibus vestitu auro et alijs quibuscunque ornamentis ac prerogatiuis perfrui debere, quibus ubique terrarum uti possunt ac posse sunt soliti poete ac liberalium et bonestarum hystoriarum ac sacrarum artium professores &c. Notae loci et temporis absunt, subplendae e *Menckenii Scriptt. Rer. Germ. T. III. p. 2039. videlicet Francofordiae 1442. 27. Jul.* Itaque docet, a *Friderico* non primum omnium, sed tantum primum inter Germanos laureatum fuisse *Conradum Celtem*.

DCXXI.

R. 2172 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 263. 4. non una manu, currente calamo conscriptus, rubricis distinctus, et olim *domus Sancte trinitatis prope Brunnam ordinis Carthusiens.* sequentia ad *Controversias Hussiticas* pertinentia continet: I. *Incipit Tractatus primus de auctoritate Romane Ecclesie.* Initium est: *Tu es petrus et super hanc petram edificabo Ecclesiam meam. Mat. XVI. Exploraturus christus fidem apostolorum*

per interrogationem, sicut explorauit fidem Chanaanee per exaudicionis dilacionem &c. Examinat Autor veras notiones Capitis, Fundamenti, Ecclesiae, et ex iis Corollaria contra Wiclefistas et Hussitas infert.

II. fol. 41. p. 2. *Incipit Tractatus secundus de Clauibus Ecclesie.* Ita: *Tibi dabo clauis regni caelorum et quodcunque ligaueris super terram &c. licet omnes apostoli pari consortio sicut sonat Canon Cypriani XXIII. q. 1. &c. Praerogativam Ecclesiae Rom. et auctoritatem Pontificis hic stabilitum in Noster contra Eosdem. Nomen quidem suum ille non prodit, scriptionis tamen tempus liquet fol. 89. ubi de sumtione Eucharistiae feria sexta magna sub una specie ait: *illam institutionem sacrum Concilium Constan. vniuersalem ecclesiam representans confirmauit.* Opus suum ad religiosum aliquem Coetum direxit, *Fratres carissimos* passim per decursum compellando. Ita fol. 7. p. 2. *Repellamus ergo a nobis fratres carissimigannitus vulpium et vlulatus luporum scilicet wiklefistarum et busfistarum &c. Germanus* fuisse videtur e fol. 18. p. 2. ubi de triplici Potestate in mystico Ecclesiae corpore loquens ait: *Tertia est in regione pedum sicut potestas ciuium artificum kniehtonum et pastorum; manifeste enim τὸ Kniehtonum a Knecht, Servus, Mancipium deductum est. Denique non procul a Silesia scripsit; cur enim alias agens de fluvio Vistulam adoptasset?**

set? *Exemplum*, ait fol. 17. in fluuio *Wyſta*, qui ſemper idem in numero manet quo ad formam, licet partes illius fluuui cottidie variantur ſibi inuicem ſuccedentes. Ex his jam, donec certiora quis doceat, coniecturam formare licet, bipertitum hunc ſolidum Tractatum referendum eſſe ad *Stephanum Dolanenſis* in *Moravia Carthufiae Priorem*, a. 1421. denatum, multis in hoc argumento Scriptis clarum, quae *Bern. Pezcius* T. IV. P. 2. *Theſ. Anecd.* col. 149. in lucem emiſit, quamvis Tractatus hujus notitiam non acceperit, ut in *Differt.* praevia p. XI. videre eſt.

III. fol. 109. *Incipit tractatus de corpore criſti ſancti thome De acquino ut aliqui dicunt.* Et ita extat inter ejus Opuscula in *Edit. Rom.* 1570. f. T. XVII. n. 58. ejusque nomine jam antea ſaepe utroque *Vol.* a nobis relatus eſt. At dubio Librarii noſtri adſtipulati ſunt Bibliothecarii Ordinis, qui illum ad *Albertum M.* tranſtulerunt, ut alibi notavi. Initium: *Venite comedite panem meum &c.*

IV. fol. 193. *Nota Equiuocationem huius nominis Eccleſia.* Initium: *Quia in equiuocatione huius nominis Eccleſia multi decipiuntur hanc ipſam equiuocationem ignorant in errores incidunt alios inducunt. Ideo neceſſarium eſt ſignificatum huius termini Eccleſia non ignorare. Accipitur enim hoc nomen Eccleſia ſex modis.* Hi porro Modi exponuntur. *Wicleſiſtis* hoc Scriptum obpoſitum fuiſſe in *Bohemia*, liquet fol. 194. p. 2. e ca-

ptis exemplis: tales ſunt multe eccleſie uel *Metropolitane* ſecundum multitudinem episcopatum ut eccleſia *Pragen.* *Eccleſia luthomiſten.* eccleſia *Olomucen.* &c. uel partiales in *Eccleſia Metropolitana* ſicut eccleſia *Gurimen.* eccleſia *Sacenf.* *Brodens.* *Veronen.* *Veroniam* hic *Beraun* intellige, quem admodum *Maut*, *Hobenmaut* etiam *Mutina*, *Wodnian Aquae*, *Laun Luna* &c. a quibusdam, fortaffe a *Caroli IV.* tempore, dictum eſt, ne quis forte de *Ciuitatibus Italiae*, aut *Galliae* rem eſſe putet.

V. fol. 200. *Epistoſa* data a. 1430. cui ſubſcripti *Procopius*, *ſmabors*, *koranda*, *ſaviſz*, *ſmolich* *Capitanei Boemie*, ad *Honorabiles Prouidos Honeſtos dominos Conſules* *Et totam Communitatem diuites et pauperes Ciuitat.* Hoc ingreſſu: *Ut deus omnipotens pater per dilectum filium ſuum Ieſum chriſtum in ſpiritu ſancto vobis et omnibus chriſtianis aperiat intellectum et illuminet corda cum lumine ſue diuine iuſticie et in eo permanere uſque ad finem firmiter et ſtabiliter hoc deſideramus nos uobis pro ſalute. Vos Honorabiles — audite et conſiderate cum ſpeciali diligentia verba preſentis litere que vobis eſt miſſa de *Bohemorum patria.* &c. Ad *Provincias* igitur vicinas directa eſt et plena grauiſſimis *Cleri catholici* incuſationibus, cujus inuſtos, ut ajunt, *Articulos XVI.* exponunt, adduntque quatuor *Puncta* ſua, ſive notos illos *Articulos de Peccatis publicis*, de *Poſſeſſionibus Cleri*, de libera*

1399

C O D I C E S

1400

libera Praedicatione et duplici Specie, quos dicunt, se usque ad mortem desiderare defendere.

VI. fol. 208. p. 2. *Replicatio dominorum Magistrorum in sacra pagina professorum contra literam Procopij heretici et suorum complicitum*, eodem anno scripta *Universis christifidelibus Regibus Ducibus Principibus Marchionibus Comitibus Baronibus Nobilibus Communitatibus et alijs catholicis quibuscunque deum timentibus et diligentibus*. Init: *Sacrofancte fidei katholice defensores ac honoris Jesu christi domini nostri zelatores ardentissimi. Curandum summopere et tota vigilancia considerandum est, quomodo et qui non sapiunt sapiant, et qui sapiunt non desipiant, et qui desipiunt respiscant.* &c. Refutatis *Taboritarum* incusationibus impugnantur fatis fufe dicti illorum IV. *Articuli*. Non memini, me Bigam hanc Epistolarum uspiam aut manu scriptam, aut typis expressam vidisse.

VII. fol. 229. *Epistola missa Johanni Hufs condempnato Heretico et combusto in constancia a concilio eodem scilicet constanciensi*. Ita rubrica. Verum, ut pluries de hac Epistola *Vol.* superiore egi, est, qui ad *Jacobum de Miza* datam velit. Neque adeo certus est Autor *Andreas de Broda*, nam subscriptio in hoc Exemplo ita habet: *Ego confrater tuus Smipx (aut Sinipx) desiderans salutem anime mee et tue et omnium animarum omnium hominum. An monstrum Smipx corruptum e sincere, quod alia Exempla legunt, vide-*

licet: sincere desiderans? Inscriptio ceterum, ut alibi: *Eloquenti Viro domino A. verbi dei seminatori in Praga hec Epistola detur fratri suo in christo dilecto*. Initium: *Pro salutacione in christo ihesu dilectione fraterna in caritate non ficta &c.*

Ad compingendum Codicem antice et postice servit Membrana gemina Seculo saltem VIII. elegantia caractere *Langobardico* exarata, utraque e L. IV. *Institutionum D. Justiniani Imp.* deprompta; et prior quidem a *Tit. VII. §. 5.* verbis: *cui tributoria actio competit, eque de peculio &c.* usque ad *T. VIII. §. 5.* verba: *Nam si liber homo noxiam commiserit;* posterior a *Tit. XV. §. 4.* verbis: *Hodie tamen aliter observatur &c.* usque ad *T. XVI.* ineuntis verba: *modo pecuniaria pena modo iurisurandi.* Collatis locis cum *Corpore Juris Freieslebeniano* Membrana prior legit *deditione defungi*, pro *deditione fungi*, et: *nec minus perpetuum eius dominium pro nec minus in perpetuum ejus servi dominium.* Posterior vero: *litis contestationis tempore pro litis contestata tempore*, et: *animo quoque retineri, pro animo quoque solo retineri*, et: *per quas personas aliquis potest pro per quos aliquis potest.* Dolendum sane, Exemplar praestantissimum, et iis, quae ambit, multo potius ad has lacinias redactum esse.

DCXXII.